

56



E libris  
**gymnasio Mauritiano Magdeburgensi**

a venerabili

**Carolo Funk**

theol. doctore et gymnasii directore

**a. 1857 hereditate relictis.**

*J. o. 1027.*



9 887

ITINERARIVM APOSTOLICVM  
feu  
AMOENITATES  
**HISTORICAE**  
ET  
**GEOGRAPHICAE**  
EX ITINERIBVS S. PAVLI APOSTOLI  
COLLECTAE,


ANTEHAC  
*IN ACADEMIA FRIDERICIANA*  
DISPVATIONIS PVBLICAE LOCO  
PROPOSITAE  
AVCTORE ET PRAESIDE  
**CHRISTOPHORO CELLARIO,**  
Eloqu. & Histor. Profess. Publ.  
A BIENNIO  
AVCTIORES EMENDATIORESQVE REPETITAE,  
NVNC  
QVARTVM EDITAE ANNO MDCCCIV.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
Apud CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERUM, Acad. Typogr.

CHRISTOPHORO-CHILARIO  
ACTORIS & EXAMINATORIS  
QUALITATEM HANC  
HABERE DEBEAT  
IN  
LITTE  
GEOGRAPHICAE  
HISTORIAE  
MONOGRAPHIA  
ATONOMUM





**I**N delicias & amœnitates Philologiæ aut ad-  
 finium litterarum excurremus, ex itineri-  
 bus S. Pauli, quæ & vsui & oblectationi sint,  
 breuiter excerpturi. *Tarsensem* hunc apo-  
 stolum fuisse, fatetur ipsemet Act. xxi, 39. &  
*Tarsum* ἢ ἀσημον πόλιν, *nobilissimam urbem Ciliciæ* appel-  
 lat, quæ Iosepho lib. i Antiquit. Iudaic. cap. viii ἀξιολο-  
 γωτάτη, μητρόπολις ἔσται, *maxime memorabilis & metropolis*  
 est. Hanc multi credunt esse, quæ toties in sacris תרשיש  
*Tbarsis* laudatur; quam peruulgarem opinionem fuisse  
 Hieronymus in Daniel x, 6. docet, & vna diffusum  
 suum & Ebræorum ita declarat: NAVES THARSIS  
 (Psalm. XLVIII, 7.) *id est maris: & Ionas fugere cupiebat*  
*non in Tarsum Cilicia* (quia Ion. I, 3. etiam est תרשיש)  
*ut plerique existimant, sed absolute in pelagus.* Et in Ion. I, 3  
 Iosephus (lib. i. Anriq. cap. vii) *interpretatur de Tarso Cili-*  
*cia: Ebræi תרשיש mare dici generaliter autumant; quan-*  
 quam horum alio æuo coryphæus R. Kimchi in Scho-  
 raschim שמ מקום *nomen loci esse itidem generaliter di-*  
 cat, vrbis an regionis, non exprimens. Ambrosius qui-  
 dem Ianvier, vir eruditissimus, Latina versione Com-  
 mentariorum Davidis Kimchii in Psalmos, dicto Psal.  
 XLVIII, 7. ita reddidit commentatoris verba: *Urbem*  
*Tbarsis præ aliis locis nominat* (Psalmes) *quia ibi erat portus*  
*admittendis nauibus valde commodus.* At vrbis vocabu-  
 lum de suo adiecit, quum Iudæi verba Isinensi optima  
 edi-

editione tantum hæc legantur אמר תרשיש כי היא  
; מכוון לסיניא dixit THARSIS, quia illa erat por-  
tus nauibus. Tarsus autem Ciliciæ reductior quodam-  
modo a mari est, atque ideo a Ptolemæo lib. v. cap.  
viii in mediterraneis numerata, quanquam in Cydni  
ostii, qui urbem interfluebat, portum hanc primari-  
am urbem habuisse non negari possit, præsertim quod,  
Strabone mensore lib. xiv. p. 463 & πλείους πέντε στάδιου ἐπι-  
τὴν ἐκβολὴν τῆς Κύδνου, non plura quam quinque stadia ad ostia  
Cydni erant.

II. Sed sufficit nobis Ebræorum תרשיש non esse  
Tarsum Ciliciæ, siue dein Tartessus fuerit in Hispania,  
inter Bætis ostia, de qua Bochartus in Phaleg. lib. iii  
cap. vii disputat; siue generatim mare, vt veteres E-  
bræi censuerunt, significauerit. Nos ad Tarsum Pauli  
patriam regredientes miranda eius contemplabimur.  
Præter illa, quæ supra vidimus, nobilem urbem & me-  
tropolim fuisse, Strabo d. l. addit: εὐανθεῖ & πλείστον δύνα-  
ται, populosa est & præpotens. Sed hoc cum aliis commu-  
ne: magis propria laus in illis Asiæ partibus ex studio  
philosophiæ & optimarum artium accessit, quas ita ex-  
coluerunt Tarsenses eodem Strabone teste, ὡς ὕπερ-  
βέλληται & Ἀθήνας & Ἀλεξάνδρειαν, vt Athenas & Alexan-  
driam superauerint. Ex quo coniciere licet, quam non  
ignarus Paulus doctrinæ & philosophiæ fuerit, etiam  
Græcæ linguæ & dicendi artis peritus, antequam Ga-  
maliei in theologia Iudaica formandum se & instru-  
endum tradidisset.

III. Vnde vero ius ciuitatis Romane Tarsensi Paulo  
fuerit, pretium est excutere. Plinius lib. v. cap. xxvii  
liberam urbem vocat, & fuerat, credo, antiquitus, vt Græ-  
corum colonia; nam ab Argiuis, vt Strabo tradit, con-  
dita

dita fuit. An vero etiam colonia Romana? non credo  
 Pauli temporibus fuisse, quod nummi ante Elagaba-  
 lum nullam eius rei mentionem faciunt. Vnum au-  
 tem sub Elagabalo percussum Patinus refert pag. 310,  
 ΚΟΑ. . . . ΙΟΝ. ΕΑΕΤΘ. ΤΑΡC. quod Harduino iudice  
 p. 485 supplendum ita est: ΚΟΑ. ΑΝΤΟΝ (VEL ΑΝΤΩΝ)  
 ΕΑΕΤΘ. ΤΑΡC. *Colonia Antoniniana libera Tarſi.* At vero  
 ciuitatis Romanae ius Tarfensibus, licet non omnibus,  
 pluribus tamen, iisque primariis antiquius fuit, saltem  
 ab Iulii Cæsaris temporibus, cui & Octauiano adeo stu-  
 duerant, vt urbem suam *Iulio-polim* vocari maluerint;  
 & quum res dubiae essent ante Philippense bellum, Do-  
 labellæ, Cæsaris partes tuenti, se *in scilicet* sponte sua dedi-  
 derint, ob id a C. Cassio multati, a Triumuiris vero in  
 spem erecti, futurum esse, vt omnia sua reciperent.  
 Hæc Dio Cassius lib. XLVII p. 342. seq. docet. A victo-  
 ria ergo Triumuirorum non dubium est, quin Tar-  
 fenses, illorum partes sequuti, cum alia beneficia, tum  
 ius ciuitatis impetrauerint. Vfus hoc iure & priuile-  
 gio apostolus Philippis & Hierosolymis fuit Act. XVI,  
 37, & XXII, 25, & quidem vtrobique secundum legem  
 Porciam, de qua Tullius pro Rabir. perduell. cap. xv  
*Porcia lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amo-  
 uit: Porcia lex libertatem ciuium licitori eripuit.* Et Li-  
 vius lib. x cap. ix *Porcia lex sola pro tergo ciuium lata vi-  
 detur.* Sed satis de Tarſo: ad *Damascum*, alteram quasi  
 Pauli patriam, vbi renatus fuit, properamus.

IV. Situm *Damasci* Plinius lib. v. cap. xviii designat  
 ita, vt in Decapolitana regione locer, cuius pars in Cœle  
 Syria est, pars in finibus terræ Israelis. Ex quo elucet,  
 in australi Syria positam esse, eaque Caua, haud lon-  
 ge reductam a finibus superioris Galilææ. Olim sedes  
 regni



regni Syriæ erat, quod Hadad fundauit circa Davidis aut Salomonis tempora, & successores habuit *ἐν δέκα γενεαῖς, ad decem generationes*, vt Nicolaus Damascenus apud Iosephum lib. v. i. Antiq. cap. v. i. obseruauit, e quibus fuere, qui sacris litteris memorantur, *Benhadad, Haisael*, & vltimus *Rezin*, quem Ahasi, regis Iehudæ, rogatu Tiglatpilesar rex Assyriorum eiecit, & Damascenam Assyriaci regni prouinciam fecit, vnde ad Persas, & ab his ad Græcos eodem statu deuoluta fuit. Vid. Curt. lib. i. i. cap. x. i. Apostoli Pauli temporibus in Arabum potestate dicitur Damascus fuisse i. i. Corinth. xi. 32. quum ceteræ Syriarum partes, Commagena excepta, in formulam prouinciæ ab Romanis redactæ essent. Disquirendum itaque nobis erit, quo iure & quo tempore Damascus ditiois Arabicæ facta fuerit.

V. Sub vltimis Seleucidarum, quum Seleuco Grypo geniti imperarent, lacer status Syriarum erat, & Damascus primum ab Eucæro Grypi filio tenebatur, quem Philippus frater eiecit in Parthicam captiuitatem misit: Antiocho interea, alio Grypi filio, se regem Damascenorum constituente, cui Philippus eripuit, præfecti arcis prodicione, sed breui etiam amisit, præfecto illo in Antiochi partes rursus recedente. Non autem hæ solæ turbæ erant in Damascena regione, sed a tyrannis etiam, qui inter fraternas regum discordias orti fuerant, grauius Syriacæ partes affligebantur. In his Straton Bercœnsis erat: omnium autem infestissimus Damascenis Ptolemæus Mennæus, tyrannus Chalcidenorum & Ituræorum, qui capitis supplicium postea mille talentis a Pompeio redemit. Pertæsi itaque Damasceni ciuilium bellorum & Mennæi iniuriarum, Aretam, Arabiæ Petrææ regem, in regnum CælesSy-



les Syriae euocant, sibi que regem constituunt, vt, plane Iosephus lib. xiii cap. xxi & xxiii, & lib. i. de Bello cap. iv exposuit.

VI. Hic Aretas ii fuit, Oboda filius, rex Nabataeorum, cui Malchus sub ciuile Romanorum bellum successit, & huic Obodas ii, seu potius procurator eius Syllæus, quo ab Augusto damnato, Aretas iii Arabiae & Damasci regnum vsurpauit, indignante primum Augusto, quod se inconsulto occupasset, postea tamen confirmante. Quæ gesta sunt illo tempore aut paullo post, quum Syriae Saturninus pro consule præfesset, hoc est quum mundi Seruator Homo nasceretur, quod ex lib. xv Iosephi cap. xvi & xvii luculentum est, vt adeo Aretas hic per temporis rationes possit ille esse, aut non dubitetur esse, cuius præfectus Damascenus Apostolum capturus erat. Paulus enim intra quintum a Christi adscensione annum ex Iudæo Christianus factus fuit.

VII. Elapsus Paulus insidiis Damascenorum in Arabiam aufugit, Galat. I, 17. ibique aliquamdiu latitauit. Lucam hanc fugam in Actibus præteriisse, quia forsitan nihil dignum apostolatu in Arabia perpetrarat, Hieronymus in d. l. Galat. i. censuit. Non quidem otiosum fuisse credamus, sed minus illustrem, quam aliis locis & temporibus. Arabia hæc Damascenæ ex latere coniuncta erat & longe in austrum ad sinum vsque Arabicum recedebat, Aretæ regnum, cuius Petra metropolis & regia sedes fuit. Mirum, ethnarchæ manibus elapsum in regionem refugisse, cui dominus ethnarchæ illius seu rex Aretas imperabat. Sed non tam ethnarcham apostolus fugiebat, quam peruicaces Iudæos ethnarcham concitantes, quorum quod pauciores in Ara-

Arabia, vt videtur, exstiterunt, quam in nobilioribus ciuitatibus Syriæ; tutius ibi latitare Paulus potuit.

VIII. Restat, vt quamdiu ibidem versatus fuerit, circumspiciamus. Ludouicus Cappellus Hist. Apost. triennium integrum ponit, quia Gal. i. 18 *μετὰ ἑτὴ τετταράκοντα*, post tres annos adscendisse Hierosolyma dicatur, quod triennium a conuersione, non ab reditu ex Arabia in Damascenorum urbem metitur. Postquam enim Hierosolyma venit, timebant sibi ab illo Christiani, incertiores de eius conuersione, quam ignorare non potuissent, si longo tempore Damasci, in illustri loco, versatus Christum publice prædicasset. Quæ enim Damasci publice gerebantur, Hierosolymis propter commercia vtriusque ciuitatis ignorari non poterant: Arabia autem obscurior erat, nec nobilibus ciuitatibus, vt Syria, excultra. Contra vir illustris Iac. Vsserius in Annal. p. 629 scripsit, *primo apostolatus sui triennio apud Damascenos exacto*; quod nolumus tueri, triennium illud si non totum; tamen maiori ex parte in Arabia transactum fuisse persuasi, in quo etiam theologos clarissimos Fr. Balduinum & Abr. Calouium consentientes habemus.

IX. Post hæc *Antiochia* in primis Pauli palæstris fuit, vbi *ἐν ταύτῃ ὄλον*, integrum annum versatus tantam vim hominum ad Christi sacra perduxit, vt, qui antea *discipuli* (תלמידים) vocati fuerant, tum *Christiani* a capite suo & duce appellarentur. Hæc Antiochia ad Orontem est, Plinio lib. v cap. xx1 *Epidaphnes* cognominata, hoc est a famoso illo & deliciis refertissimo luco, quem *Daphnen* dicebant, cognomen nacta, quæ non tantum Antiochenæ, sed vniuersæ Syriæ metropolis, *urbis celebris & copiosa, atque eruditissimis hominibus liberalissimisque studiis*

*studis adfluens* fuit, vt cicero pro Arch. cap. xii laudavit. Quam dignitatem etiam seruasse vel nummis Augusti & Hadriani manifestum est, quibus ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ legitur, vt de medio apostolorum tempore dubitare non liceat. Auētor Chronici Alexandrini in Iulio Cæsare (p. 438 ed. Rad.) vocat ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην, *Antiochiam magnam*, cui idem Cæsar ἐλευθερίαν, *libertatem* concesserit, quod alius nummus ab illustri Spanhemio p. 789 laudatus confirmat hac epigraphe, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Antiochensium metropoleos libera.*

X. Ex Antiochia Syriæ in vrbem *Seleuciam*, quæ ad mare est, profectus Paulus in *Cyprum* insulam nauigavit, vbi in proconsulis *Sergii Pauli* notitiam venit, qui etiam fidem Pauli dictis & miraculis habuisse dicitur Act. xiii, 7. & ii. Insula hæc accessio regni Lagidarum Ægyptiorum fuerat, a fratre regis cum honore regalis dignitatis regnata, quorum vltimus fuit Ptolemæus, Ptolemæi Dionysi siue Auletæ frater, quem iniusta cupiditas Romanorum, Clodio tribuno plebis instigante, ad voluntariam mortem coegit, vt Romani insulam & thesauros regio occuparent. Ab eo tempore Ciliciæ prouinciæ coniuncta hæc insula fuit, & ab eodem proconsule recta, quod Cicero ipse, postea vtriusque prouinciæ præses, ad Lentulum Spintherem lib. i. ep. v ii his verbis planissime tradit, *te perspicere posse, qui Ciliciam Cyprumque tenens.* Erat autem Lentulus proconsul Ciliciæ. Ita coniunctæ prouinciæ etiam Appio Claudio & ipsi Ciceroni manserunt; postea, vti tres diocæses ab Cilicia abreptæ, quod Cicero lib. xiii ep. lxxvii non obscure indicat, & a Sigonio lib. i. de Prouinc. R. cap. xi pluribus probatur; ita Cyprus quoque eidem

B cap.



cap. XIV videtur Ciliciæ ablata, & peculiaris facta provincia, cuius rei etiam argumenta satis probabilia proferri possunt.

XI. Ciuili bello status infulæ immutatus fuit, & Cæsar victor, Dione auctore lib. XLIII p. 202, Arsinoæ & Ptolemæo puero in sororis Cleopatrarum gratiam ἐχαρίσατο, donauit: triumuir Antonius ipsi Cleopatrarum cum Ciliciæ parte concessit, vt Strabo extremo XIV refert. Vt antea autem *prætoria* provincia καὶ αὐτὴν, per se & seorsum declarata fuerat, quum fieret provincia Romana: ita Augustus quoque in decem *prætoris* censuit, quod idem Strabo extremo opere memorauit. Sed prius illam in suas seu Cæsaris provincias retulisse Augustum, mox cum Narbonensi reddidisse senatui, ex eoque tempore a proconsulibus regi cœpisse, ex Dionis lib. LIII p. 504. & LIV p. 523 probari potest; in quo statu sub sequentibus mansit Augustis imperatoribus. Inscriptio apud Gruter p. 360 n. 3. sub Caligulæ imperio facta: PRO CONSULE PROVINCIAM CYPRUM OBTINUIT. Non itaque causâ vlla est, vt cum Baronio Sergium Paulum Ciliciæ proconsulem dicamus, quum solius Cypri præses fuerit, proconsul autem dictus non quod consulatu in vrbe functus fuisset; hoc enim non necessarium erat: sed ex lege Augusti apud Dionem lib. LIII p. 504, qua ἀνθυπάτους καλεῖσθαι, proconsules dici voluit (in provinciis) non modo τὰς ὑπατευόμετας, consulatu in vrbe functos, ἀλλὰ ἢ τὰς ἄλλας τῶν ἐστρατηγηκότων, ἢ δοκῶντων γε ἐστρατηγημέναι, sed alios etiam prætorios, & qui prætoriorum loco haberentur.

XII Ex Cypro in continentem prouectus apostolus, Pamphylia & Pisidia peragratis, in *Lyaconia* vrbes venit *Derben*, *Lystram*, *Iconium*. Hic tractus ex dicecibus

bus fuit, quæ Ciliciæ proconsulatui quondam attributæ fuerant, vt Sigonius lib. i. cap. xi de Prouinc. Rom. probauit. Varium postmodo huius regionis sub triumviris & Augusto imperium fuit, de quo vir clarissimus Henr. Noris in Cenotaph. Pis. pag. 209 seq. legi potest. Sufficit hoc solum enotare, ad Amyntæ regnum, quod nouum Antonius concesserat, pertinuisse, quo rege ab Homonadenibus interfecto, Augustus prouinciæ formam induxit, Pamphylia oppidis suæ libertati restituitis. Gallogræcia autem *μετὰ τῆς Λυκαονίας, cum Lycaonia,* tanquam vna prouincia, *Ρωμαίων ἀρχὴν ἔχει, Romanum presidem accepit,* Dione referente lib. LIII pag. 514. *Derbete* illud oppidum est, quod Antipater Derbæus, Ciceronis amicus, tenebat, ideoque lib. XIII epist. LXXIII Philippo procos. Asiæ ita commendatus: *Cum Antipatro Derbete mihi non solum hospitium, verum etiam summa familiaritas intercedit, &c.* Hunc infidiis Amyntas sustulit, vt ipsius possessiones occuparet, quod Strabo lib. XI p. 391 adnotauit.

XII. *Lystra* satis apostoli mirandis clara. Heic enim benigne exceptus vsque adeo cum Barnaba fuit, vt pro diis haberentur: mox, vt mutabile vulgus, lapidibus obrutus, & tanquam cadauer, extra urbem protractus est. Non possum, quin simile exemplum, quod Cyprianus de martyre Numidico epist. XL (Pamel. 35) habet, adiciam. *Ipsè, inquit, semiusculatus & lapidibus obrutus; & pro mortuo derelictus, dum postmodum filia sollicito pietatis obsequio cadauer patris inquireret, semianimis inuentus, & extractus & resocillatus a comitibus est.* Ob id a Cypriano commendatus, vt presbyter ecclesiæ Carthaginensis fieret.

XIV. De Antiochia ad Orontem fluuium, seu ad  
B. 2 Daph-

Daphnen lucum, supra diximus: est & alia *Antiochia*,  
 Pisidiæ, cuius in Actibus cap. XII I seq. mentio fit, fre-  
 quens ciuitas & summæ dignitatis. Plinius lib. v. cap.  
 XXV II *insident verticem Pisidæ, quorum colonia Cæsaria, ea-*  
*dem Antiochia.* Nummi plurium Cæsarum apud Har-  
 duin. p. 47. seq. COL. CAES. ANTI OCH. quos perpe-  
 ram Tristanus ad Antiochiam Epidaphnes siue Syriæ  
 reiecit. Latini iuris fuit. Paulus I. C. lége V I I Dig. de  
 Censibus: *In Pisidia eiusdem [Italici] iuris est colonia Anti-*  
*ochensium.*

XV. Ex Pisidia in Phrygiam & Cariæ fines pro-  
 gressi *Laodiceam* adimus τὴν πρὸς τῷ Λύκῳ, ad *Lycum a-*  
*mnem* Straboni cognominatam sub finem lib. XII. Pli-  
 nius lib. v. cap. XXI X *celeberrimam urbem vocat, imposi-*  
*tam Lyco flumini, latera adluentibus Afopo & Capro.* Con-  
 sentit nummus Commodi, ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ ΔΥΚΟΣ ΚΑΠΡΟΣ,  
*Leodicea Lycus Caper*, quasi inter hos amnes posita. Ca-  
 riæ a multis tribuitur propter vicinitatem, vt Holste-  
 nius censet ad Steph. Byzant. p. 187. Ptolemæus etiam  
 lib. v. cap. II in Caria scripsit *Laodiceam ἐπὶ Λύκῳ, super*  
*Lycō.* Strabo autem d. I. in Phrygia recensuit, cui et-  
 iam subscriptione Epistolæ I ad Timotheum tribu-  
 tam videmus, si genuina illa est & antiquo sæculo super-  
 addita. Scriptam tradit epistolam ἀπὸ Λαοδικείας, ἥτις ἐστὶ  
 μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς, ex *Laodicea, que metropo-*  
*lis est Phrygiæ Pacatiane.* Sed vel vltimum *Pacatiane* ver-  
 bum ostendit subscriptionem hanc epistolæ coætuum  
 non esse, quia longe post apostolorum tempora Phry-  
 gia magna in *Salutarem* & *Pacatianam* cœpit diuidi. Sub  
 Christianis demum principibus hæc nomina nata.  
 Hinc in Notitia Imperii & Ecclesiæ Orientis obuia:  
 superioribus sæculis, quantum constat, inaudita. Pa-  
 catia-

catianæ metropolis hæc Laodicea fuit, quem admodum Salutaris, Synnada. De vtriusque distributione in ciuitates Geographia Carola a S. Paulo p. 240. seq. confulatur: etiam Notitia Patriarchatus Constantinopolitani, & Ordo sedium Metropolitanorum, & similes Græci libelli, in quibus non *Pacatiana*, sed *καπατιάνη* & *καπατινή* scribitur: etiam apud Constantinum Porphyrogenetam Themate i. Anatolico pag. 5. *φυγία Καπατιανῆς*: & Can. Concil. Laodic. apud Beuereg. Tom. i. p. 553, ἐν Λαοδικεία Καπατιανῆς *φυγίας*: in Nouella autem VII I cap. II & in Notitia præfidum eidem Nouellæ subiuncta; etiam Nov. xx cap. v i Iustinianus *Pacatianam* illam Phrygiæ partem, non *Capatianam* appellat.

XVI. Sed cuiuscunque antiquitatis sit *Pacatianæ* nomen, *Laodicea* illius princeps ciuitas satis antiqua est, condita post amplificata ab Antiocho Theo, Soteris filio, tertio post Magnum Alexandrum Syriarum rege, & a Laodice, vxore eius, *Laodicea* nomen adeptæ, id quod Byzantius chorographus, nobis prodidit. Hæc illa *Laodicea* est, cuius ad Coloss. I, v. 13, 16. fit mentio, vnde quidam Paulinam epistolam vel deperditam, vel suppositiciam arcessunt, quæ vero, vt Hieronymus Catal. Scr. Eccl. ait, *ab omnibus exploditur*. obstat enim præpositio *ix* v. 16, quam qui genuinam esse libris quibusdam confisi negant, Syrum interpretem, at quam antiquum? sibi contrarium habent. Sed hæc aliis discutienda relinquimus: ex sola historia argumentantes, cui tribus prioribus Christianorum sæculis ignotum *Phrygia Pacatianæ* nomen fuit, etiam Syro, Arabi, Latino interpretibus in epistolæ subscriptione prætermisum. Accedit quod clarissimi viri dubitant, an in Asia scripta fuerit prior ad Timotheum, nec in Græcia potius seu Macedonia,

B 3

donia,



donia, in quibus supra laudatum Cappellum nominamus, qui idem dubitabundus est, an Paulus vnquam Laodiceam, quæ ad Lycum est, peruenerit? quod certe, si hanc *ὑπογραφήν* sustuleris, probari vix aliunde potest. Nobis & ciuitatem ostendisse, & nomen prouinciæ, licet ex sequiore æuo, declarasse, nunc sufficiat.

XVII. In hoc tractu & *Colossenses* erant, ex Pauli epistola minime ignoti. Sunt quidam, vt Guil. Estius Argumento huius Epistolæ meminit, in quibus & Sebast. Münsterus est, qui Rhodiensibus hanc Epistolam inscriptam autument. Hos enim propter colossi statutam mirandam Suidas in *ῥόδος* tradit *κολοσσαῖς*, *Colossenses* appellatos, quod etiam Eustathius ad Dionysii Periegetæ v. 505 confirmat. Sed falluntur, qui Rhodiis Paulum scripsisse credunt. Eos enim Colossenses intelligit, qui vicini & proximi erant Laodicensibus & Hierapolitanis. Vide epist. cap. 11, v. 1, & cap. 1 v, v. 13, 15. Ab his vero longius remota insula Rhodus est. Intelliguntur ergo *Colosse*, antiquum oppidum ad Lycum amnem nec procul a Mæandro, qui Lycum excipit, positum. Herodotus lib. v 11 cap. xxx situm eius ita describit, vt iuxta eam Lycus *ἀφ' αὐτῆς θαλάσσης*, terra condatur, & quum post quinque stadia emerisset, in Mæandrum se infundat. Straboni & Plinio simpliciter Phrygiæ vrbs vocatur: Herodoto ibidem *πόλις μεγάλη φρυγίας*, magna vrbs Phrygiæ. Hæc terræ motu sub Neronis principatu, apostolo fortassis superstite, concussa & euerfa, diu in ruinis iacuit. Quæ caussa fuit, vt nullam eius mentionem Ptolemæus alique posteriores fecerint. Orosius lib. vii cap. vii *In Asia tres vrbes, hoc est Laodicea, Hierapolis, Colosse terra motu conciderunt*, Laodicea breui post tempore in Apocalypsi memoratur, & alibi: Hierapo-



894  
rapolis laudatur Ptolemæo lib. v cap. ii. quod argu-  
mento est, has superasse malum suum: cui Colossæ,  
tanquam grauius afflictæ, succubuerint. Tandem ve-  
ro sub Constantinopolitanis imperatoribus *Chona* in  
Colossarum locum successere. Constantinus Porphy-  
rogenneta Themate  $\text{Κολοσσαί, αἱ νῦν λεγόμεναι Χῶναι,}$   
*Colossæ, quæ nunc Chonæ dicuntur.* Hæc patria Nicetæ Cho-  
niatæ, scriptoris Constantinopolitani, vt ipse tradit Vi-  
ta Balduini cap. x.

XVIII. Colossæ & Laodicea vicinam quoque *Hie-  
rapolim* commendant, ita ipso Apostolo volente Coloss.  
iv. v. 13. vbi mentionem facit  $\text{τῶν ἐν Ἱεραπόλει.}$  Huius  
nominis clara vrbs est Syriæ, alia Cretæ: sed heic, vt  
fitus & vicinitas docet, *Hierapolis Asiæ*, vt Plinius lib. ii  
cap. xciii;  $\text{τῆς Ἀσίας,}$  vt Xiphilinus in Traiano vocat;  
siue *Hierapolis Phrygiæ*, vt Apuleius de Mundo, appellat,  
intelligitur, puta *Phrygiæ magnæ*, in qua Ptolemæus lib.  
v cap. ii locat: seu, vt posteriori æuo prouincias distri-  
buebant, in *Phrygiæ Salutari*, quod in Notitia Episcopa-  
tuum Græcorum legitur. Sed omnium clarissime e-  
ius situm nobis Strabo sub finem lib. xiiii delineauit,  
 $\text{κατὰ τὴν ἐξ Ἰεραπόλεως καὶ Λαοδικείας,}$  ex aduerso *Laodiceæ*, sed trans Mæan-  
dram fluium. Stephanus Byzantius, qui in confinio  
Phrygiæ & Lydiæ ponit, nomen habuisse tradit  $\text{ἐπὶ τῆ}$   
 $\text{Ἱεράπολιν ἔχειν,}$  a multitudine templorum, in quibus cele-  
brantur *Matris Magnæ*, apud Plin. lib. ii cap. xciii; &  
*Apollinis*, apud Photium cod. ccxlii in excerptis ex  
Isidori vita, Damascio auctore, quod etiam nummis  
confirmatur. Cetera miranda huius vrbs Strabo d.l.  
& Stephanus Byzantius, & Apuleius de Mundo enar-  
rant.

XIX. *Troas* in ora Asiæ occurrit, vnde in Euro-  
pam

pam Apostolus nauigauit. Et vrbis & regionis nomen  
 est: in Pauli historia magis vrbis, quam regionis, con-  
 tra Syrum interpretem, qui Act. xv i, 8. εἰς Τρωάδα ver-  
 tit in Troadem regionem, de suo Τρωάδα adiiciens. Hiero-  
 nyminus epist. cl ad Hedibiam quæst. xi, Troas, inquit,  
 quæ prius Troia appellabatur. Propinqua quidem ruderibus  
 Troiæ, non autem eodem prorsus in loco posita,  
 quia Ilium & Troadem Strabo ineunte lib. xiii, & Plinius  
 lib. v. cap. xxx distinguunt. Condita Troas ab Alex-  
 andro Magno, a quo & Alexandria nomen habet, & tam  
 Straboni d. l. quam Ptolemæo lib. v. cap. i i est Alexandria  
 Troas, id est Alexandria in Troiano agro sita, quia  
 articulum Strabo interposuit ἀλεξάνδρεια ἢ Τρώας, quod  
 perperam interpres vertit Alexandria & Troas. Ali-  
 quando ab Antigono nomen accepit. Plinius d. l. Tro-  
 adis primus locus Hamaxitus: dein Cebrenia: ipsaque Troas,  
 Antigoniam dicta, nunc Alexandria, colonia Romana. Com-  
 mentarii loco sunt, quæ Strabo tradit dicto libro p. 408,  
 ex quibus abunde constat, quantum differant Ilium, et-  
 iam ab Alexandro ornatum, & hæc Alexandria: & cur  
 Antigoniam eadem dicta, & quando colonia Romano-  
 rum facta. Quod enim coloniam meminit sæculi Augu-  
 stei scriptor, non post Augustum deducta fuit; neque  
 ante Octauiani tempora, quia in plerisque nummis  
 AVG. adscriptum est, Antonini Pii COL. ALEX. AVG.  
 Elagabali & Alexandri Seueri COL. ALEX. AVG. TRO.  
 & Aquiliæ Seueræ COL. ALEXAND. AVG. Nomen  
 Antigoniam in vno Tiri nummo est cum reliquis, COL.  
 TROAS ANTIGONIA ALEXANDR. Rarius est An-  
 toniniane cognomen, cuius generis nummum vir illu-  
 stris Ezechiel Spanhemius profert p. 776. COL. AVR.  
 ANTONINIANA ALEX. Est etiam, vbi demtis Alex-  
 an-

andriæ vel Antigonix nominibus simpliciter Troas ap-  
pellatur, in Antonini & Commodi nummis, COL. AVG.  
TROAD. & Caracallæ, COL. AVG. TROAS, quod cum  
sancto scriptore conuenit, qui simpliciter etiam Troa-  
dem appellat.

XX. Ex Troade nauigauit Paulus in Samothra-  
cen & Neapolim. Nota infula *Samothrace* in septentri-  
one Aegæi: minus cognita hæc *Neapolis* inter Philip-  
pos & Aenum iuxta mare sita. Meminit eius Plinius  
& Ptolemæus: luculentius situm describit Dio Caspius  
lib. XLVII p. 348, esse positam *πρὸς τῇ θαλάσσει κατ' ἀπι-  
πέραν Θάσος*, ad mare, contra insulam *Thasum*. In Macedo-  
nia censetur, si Nessus eius terminus fuit: in Thracia,  
si Strymon, antiquus limes, finiebat. Hinc iter *Philippos*  
patuit, quæ Aet. XVI, 12 *κολώνια* dicitur, puta *Romana* &  
*πρώτη τῆς μερίδος τῆς μακεδονίας πόλις*, vrbs *primaria partis*  
*Macedonia*, quæ trans Strymonem est, quondam Thra-  
ciæ adjudicata. Plinius lib. IV cap. XI, *Philippi, colonia*,  
quam Augustus vel deduxit, vel in maius colonorum  
supplemento auxit. Nummus Claudii COL. AVG. IVL.  
PHILIP. Subnotatum DIVVS AVG. Similem num-  
mum Vespasiani COL. AVG. IVL. PHILIPP. Holste-  
nius ad Steph. p. 346 ad Philippopolim Thraciæ refert,  
quem malim ad Philippos reductum, nisi forte mani-  
festa habet pro Thraciæ vrbe indicia. Quod vero  
istum Claudii nummum Patinus p. 99 Thessaliæ Philip-  
pis, nescio quibus, ad mare Aegæum seu mediterrane-  
um sitis, & diuersis ab vrbe trans Strymonem, tribuit,  
puto ex vereri errore ortum, quo vnum locum & Cæ-  
saris cum Pompeio, & Caspii ac Bruti cum Antonio &  
Octauiano præliis fuisse falso multi crediderunt, quod  
tamen aliter se habere, præfatione ad Geographiam  
C nostram



nostram ostendimus. Hi vero trans Strymonem *Philippenses* sunt, ad quos Paulus litteras dedit: hi quibus *ius Italicum* Lege VI & VII Dig. de Censibus, velut ingens beneficium, adferitur.

XXI. Ab Amphipoli ad Strymonem sita & libera ciuitate, vt Plinius vocat, per *Apolloniam* in Theffalonicam Paulus venit Act. XVII, 1. Quæ illa *Apollonia* sit, non omnibus obuium est, Plinius I V cap. X *Regio Mygdonia subiacens, in qua recedentes a mari Apollonia & Arcthusa.* Has duas Scylax in Macedonia coniungit, & vtramque dicit *ἑλληνίδα, Græcam ciuitatem.* Superest *Nicopolis* cum *Macedonia* cognomento in subscriptione Epistolæ ad Titum, *ἀπὸ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας, ex Nicopoli Macedonia.* Quod nullam in Macedonia inueniunt, quidam *Neapolis* nomen substituunt. Non esse innitendum hisce subscriptionibus, supra in Pacariana vidimus: & in hac quoque sequioris æui ambitio ex πρώτος, *primarii* episcopi titulo videtur se proferre, quam prisca & apostolica ætas ignorauit. Syrus & Arabs neque *Macedonia*, neque *primi episcopi* nomen habent: sunt etiam Græci libri, quibus tantummodo notatum: *ἐγγράφη ἀπὸ Νικοπόλεως*, ceteris omnibus relictis. Esto autem vulgarem subscriptionem non antiquissimam esse, feruari tamen & explicari posse non desperamus. Hieronymus proæmio comment. in Epist. ad Titum: *Scribit apostolus de Nicopoli, quæ in Actiaco littore est.* Et ad cap. vlt. v. 12. *Nicopolis ipsa est, quæ ob victoriam Augusti, quod ibi Antonium Cleopatramque superauit, nomen accepit.* Hoc Augustæ victoriæ monumentum in extrema Epiro situm erat, vbi nunc *Preuesæ*, nouissime a Venetis expugnata. Notitia Episcopatum Græc. *Νικόπολις, ἡ νῦν Πρέβηζα.* At Epirus ex Romanorum diuisione ad prouinciam

ciam Achaicam pertinebat: qui vniuersam Græciam in Macedoniam & Achaiam (11. Theſſal. 1. verſ. 7, 8) hoc eſt in duas prouincias conſulares, diuiſerunt. Alii Nicopolim ad Neſſum intelligunt: ſed hæc Ptolemæo lib. 111 cap. x1 in Thracia eſt. Lud. Cappellus p. 68 totam ſubſcriptionem reiicit, vt pugnantem cum ordine itinerum Pauli, & cum verſ. 12. cap. vlt. Adde Guil. Eſtii Argumentum huius Epiſtolæ, qui vero in Achaia ſcriptam putat: Cappellus Epheſi: Grotius in Italia, ſed hic in eo accedit Hieronymo, vt cap. vlt. v. 10. Nicopolim Epiri, non Thraciæ, intelligat. Locum ſcriptionis non definimus, Nicopolis ſitum oſtendiſſe & probaſſe in præſentia contenti.

XXII. Plures ſunt Græciæ vrbes, quæ Pauli voce perſonuerunt, Athenæ, Corinthus, aliæ, quarum nec ſitus, nec fama ignoratur. *Cenchree* autem, habentes portum & nauale Corinthi, ad ſinum Saronicum, non licet illaudatas præterire, quia Actor. xviii, 18. & ad Roman. xv 1, 1. laudatæ ſunt. Describit Pausanias in Corinthiacis poſt principium, in iisque templa Neptuni, Dianæ, Veneris laudat: ſed verior laus eſt τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κενχρεαῖς, *Chriſtiana ibidem eccleſia*, Rom. xv 11. Cetera Græciæ, vbi Paulus fuerit, nominatim expreſſa non legimus, quamuis longa ſpatia oporteat eum e-meſum fuiſſe, qui μέχρι τῆς Ἰλλυρικῆς, *uſque ad Illyricum*, cuncta euangelio impleuerit, vt ſcripſit Romanis cap. xv verſ. 19. Iter eius tantummodo describitur per Amphipolim, Apolloniam, Theſſalonicam, Orientale latus Macedoniæ: Illyricum autem, terminus occidentalis, toto regno ſeu conſulari prouincia interiacente, a ſcriptore Actuum non attingitur. Duplex autem *Illyricum* erat, *Græcum*, quoda Liſſo & vicinis montibus ince-

C 2 pit:



pit, & vergit ad Ceraunios vsque montes. Hæc Græca Illyris vrbes nobiles habuit Lissum, Dyrrhachium, Apolloniam: populos Parthinos, Taulantios, & alios obscuros. *Barbarum* hinc super Adriam exsurgit in oceanum borealem. Hos Mela lib. 11 cap. 111 *proprie Illyricos* vocat. Adde Palmerii Græc. Antiq. lib. 1. cap. xiv. Hanc, illamne Illyrin intelligat apostolus non æque nobis certum est. Nullum vestigium apparet, ad Dalmatas vsque excurrissè: nec vero eiusdem ætate Illyrici nomine alterum censebatur, sed Macedonia potius. Dio Casius lib. xli pag. 176 τὸ Δυρράχιον ἐν τῇ γῆ πρὸτερον μὲν Ἰλλυριῶν τῶν Παρθινῶν, νῦν δὲ, & τότε γε, ἡδὲ Μακεδονία νενομισμένα, καίτοι, *Dyrrhachium in terra Illyriorum Parthinarum sita: quæ nunc, etiam tunc* (Pompeii & Cæsaris ætate) *Macedonia adnumerata est.* Quod si ita est, in Dassaretis, Taulantiis, horumque vicinis apostolum prædicasse vix erit quod dubitemus.

XXIII. Ultimo Hierosolymam rediturus Paulus aliquod tempus in Asiæ ora consumsit. Ex Macedonia nauigauit Troadam: inde pedestri itinere *Assum* profectus, Act. x x, 13. quod Phrygiæ Minoris oppidum ad mare erat, haud longe a Troade Alexandria remotum. Plura de eo Salmasius in Solinum p. 847. Inde *Mytilenen*, Lesbi insulæ clarissimam vrbe[m], venit, Ciceroni, Horatio, omnibus laudatam. Insulæ post aliæ exceperunt, *Chios*, nunc Scio, Smyrnenfi sinui opposita: & *Samos*, e regione *Ephesi*, quam vrbe[m] præternauigavit, & *Miletum* recta contendit.

XXIV. Non semel *Ephesi* fuerat, quæ Asiæ clarissima vrbs erat & sedes proconsulis Romani & metropolis, quod etiam ex Lege iv. Dig. de officio procons. § v. *ingressum*, constare potest. Positio vrbis ad mare, contra

contra Samum insulam ne longe supra promontorium Mycalen. Neque huc μέρη ἀνωτεριὰ, superiores partes pertinent, Act. XIX. vers. 1. sed Galatia & Phrygia septentrionalis ita notantur: sicut ἡ ἀνω Ἀσία, superior Asia, Herodoto septentrionalior est lib. I. cap. xcv, de qua Historia nostra Antiqua pag. 3. seq. etiam præcepimus. Hoc etiam διελθόντα, præteritæ notionis participium conuincit, quum peragrasset superiores partes, cap. xviii vers. 23. descriptas, ἐλθόν, venisse tandem in inferiora & australia, saltem respectu montanorum, in depressiora, vbi Ephesus maritima erat. Miletus, mater innumerabilium coloniarum, in nobilissimis ciuitatibus Ionæ: quo venit Paulus ex Trogilio, qui locus, Strabone auctore lib. xiv p. 438, ad pedem Mycales famosi promontorii est, ab Nepote & aliis laudati. Cos siue Coos, & Rhodus, insulæ postea intratæ, & Patara Lyciæ, quæ Apollini Patareo apud Horatium lib. iii oda iv &c. nomen propter oraculum dedit. Tyrus sequitur notissima: & Ptolemæis, de qua ad Datamen Nepotis cap. v sub nomine Aces (ita enim appellata fuit antea) aliquid notauimus. Cæsarea proxima est, quæ apostolum suscepit, post Hierosolymam princeps vrbs Palæstinæ, olim Turris Stratonis dicta, ab Herode autem eximie ornata & amplificata. Vide Iosephum lib. I. de Bello Iud. cap. xvi & de dedicatione eius lib. xvi. Antiq. Iud. cap. ix pr. Sedes fuit præsidis siue procuratoris Palæstinæ, quod ex Actibus etiam Apostol. cap. xxiii, xxiv, xxv liquet.

XXV. Restat vltimum Pauli iter, quod diuinæ litteræ habent, ex Palæstina in Italiam, in quo Antipatris prima memoratur Actuum cap. xxiii vers. 31, sita medio itinere inter Hierosolyma & Cæsaream. Opus Herodis fuit, ex paris Antipatri nomine appella-

tum. Conditum eius scripsit Iosephus lib. xv i Antiq. cap. ix. Deinde post Cæsaream, de qua diximus, *Salmone* occurrit, quod promontorium est insulæ Cretæ in orientali latere. Mela lib. ii cap. vi i *Crete*, ad orientem promontorium *Samonium*. Ita & Strabo, Plinius, Ptolemæus vocant: nec vero suspectum λ debet esse, quod Lucas inseruit. Nam Casaubonus ad Strab. lib. x obseruat, in MSS. quibusdam *σαλμώνιον* apud Strabonem legi, & Plinius *Sammonium* littera geminata scripsit, quod argumentum euphoniæ est, litteram sæpe excludentis, quæ hodie rediit, dum *Capo Salamoni* appellatur. Inde profectus, vt in portu *Phœnice* hibernet, sed per tempestatem non potuit. Ptolemæo in australi Cretæ latere est *φοινικοῦς λιμὴν*, portus *Phœnicus*, & proxime illum *φοῖνιξ πόλις*, *Phœnix oppidum*. Depulsus inde procellis, paruam insulam *Clauden* attigit. Ptolemæus extremo lib. iii in insulis Cretam adiacentibus primo loco ponit *κλαῦδον ἐν ἡ πόλις*, *Claudum*, in qua oppidum est. Creditur esse, quæ hodie *Gozo* dicitur, ad austrum Candiæ obiecta.

XXVI. Naufragium passus est ad insulam *Meliten*, cuius nominis vna est in Dalmatico mari, altera inter Siciliam & Africam, & hanc Paulo fatalem fuisse, cursus inde ad Syracusas & Rhegium ostendit. Non desunt tamen qui *Meliten* Dalmaticam Pauli naufragio dent, & in his *Porphyrogenneta*, cuius sectatores vrgent vocem *Adria* Act. xxvii, 17. quæ Illyrico magis, quam Africo mari conueniat: etiam nomen *barbarorum* cap. xxviii, quum isti *Meliten*ses, si non Græci, vt *Siculi*; tamen longo vsu & clientela Romani fuerint, quod insula a Punico I. bello sub *Siciliæ* proprætore fuit, vt ex Cic. Verr. vi. cap. xlvi est liqui-



liquidum. Hæc vero non tanti sunt, vt de senten-  
tia nos dimoueant. Nam *Adria* vel *Adriaticum* ma-  
re interdum tam late patet, vt Ionium etiam com-  
prehendat. Ptolemæo lib. III cap. IV Siciliae latus  
terminatur ἀπὸ ἀνατολῶν ὑπὸ τῆς Ἀδρίας πελάγους, orientem ver-  
sus ab *Adriano pelago*: & cap. XI V Epiri australe latus  
terminatur μέχρι τῆς Ἀχελώος ποταμοῦ Ἀδριατικῆς πελάγους, us-  
que ad flumen *Acheloum Adriatico mari*. Rufus Festus A-  
vianus periegesi v. 594

*Acbelous*

*Irruit Adriaci tergum maris.*

Et Eustathius ad Dionysii perieg. v. 92 ἴστέον ὅτι ἔμο-  
νον Ἴόνιον καλεῖται, ἀλλὰ καὶ Ἀδρίας ὁ αὐτὸς λέγεται,  
καὶ Ἀδρίας, καὶ Ἀδριακὴ θάλασσα. Adde Strabonem lib. V II  
pag. 219. Et barbari agrestes insulæ erant primi nau-  
fragos excipientes, in oppidis vero Græcis Romanis-  
que moribus exculti.

XXVII. Insulam *Meliten* ad Europam pertine-  
re, non ad Africam, censemus contra Ptolemæum  
& recentes Gallos: in quo Strabonem & Plinium ex-  
veruistis, ex recentibus Cluuerium consentientes ha-  
bemus. Accentus vocis ambiguus est, dum mediam  
in *Melite* & correptam & porreptam videmus. Puta-  
mus rectius breuiari. Ouidius III Fast. v. 567

*Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyra.*

Ita & Apollonius IV Argonaut. aliquoties, vt de Silio  
& aliistaceamus. Lycophron vero in *Alexandra* v.  
1027, & Arator in paraphrasi Actuum Apost. eandem  
produxerunt. Qui Publius πρώτος, primarius insulæ  
Act. vlt. 7. vocatur, erat magistratus Romanus, sed  
inferior, a prætore Siciliae pendens. Vetus inscriptio  
apud Cluuer. Sicil. Ant. q. p. 443 ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ,  
primus

*primus Melitenſium*, quod de Lucio quodam, Caii filio, equite Romano refertur.

XXVIII. Eruditis placet, & admodum eſt probabile, Paulum prima captiuitate, quam Lucas ſcripſit, liberatum in Græciam & Aſiam reuertiffe, adeoque bis Romæ fuiſſe: in Hiſpaniam autem penetrare credibile non eſt. Huius *Pauli* nomen ex *Sauli* mutationem Hieronymus conuerſationi cum Romano Cypri proconſule *Sergio Paulo* tribuit comment. in Epift. ad Philemonem, quod H. Grotius approbat, nec huius grauiſſimus cenſor Abr. Calouius quidquam oppoſuit.

*Addimenta.*

- I. *Gallio* proconſul Achaiaë Aët. xviii. 12. fuit germanus frater L. Annæi Senecæ philoſophi, & quidem ætate maior, Annæus Nouatus dictus, poſt in Iunii Gallionis familiam adoptatus. Vide Lipſium initio in Senecæ de Vita Beata: & ipſum Senecam, Præfatione lib. iv Quæſt. Nat. & Epift. c. i v ſub initium.
- II. Epiftolas Pauli ad Senecam, & huius ad Paulum eſſe ſuppoſiticias, etiam ex ſtilo probari poteſt.



01 A 6756

ULB Halle


003 099 423



3

*Retro ✓*







9 887

ITINERARIUM APOSTOLICUM  
feu  
AMOENITATES  
**HISTORICAE**  
ET  
**GEOGRAPHICAE**  
EX ITINERIBVS S. PAULI APOSTOLI  
COLLECTAE,  
ANTEHAC  
*IN ACADEMIA FRIDERICIANA*  
DISPUTATIONIS PVBLICAE LOCO  
PROPOSITAE  
AVCTORE ET PRAESIDE  
**CHRISTOPHORO CELLARIO,**  
Eloqu. & Histor. Profess. Publ.  
A BIENNIO  
AVCTIORES EMENDATIORESQVE REPETITAE,  
NVNC  
QVARTVM EDITAE ANNO MDCCCIV.

---

*HALAE MAGDEBVRGICAE,*  
Apud **CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERUM,** Acad. Typogr.

